

1495 que, familiamque suam, senex oculisque captus sustinet. Post hæc Alexandro a Senatu postulante, ut illam ipsam classẽ Neapolim ad Ferdinandum auxilio levandum tam opportuno tempore mitteret, tametsi permagnis Gallici exercitus impensis civitas distinebatur, concedendum tamen censuit. Itaque Antonius Græcis equitibus centum, & navibus duabus Monopolitanorum præsidio relictis, Tarentum adnavigavit: quod quidem oppidum, appulso eo cum septem navibus longis, quas ad ejus tres Antonius addiderat, Federico, ad Ferdinandum tamen non redierat. Ibi ventris profluvio arreptus Antonius, navibus viginti, quibus Contarenum legatum præfecit, Neapolim ad Ferdinandum jussis contendere, ipse cum reliquis navibus (aliæ enim nonnullæ ad illum interea naves convenerant) Corcyram est profectus. Eodem anno cellis farinariis urbanis, quæ publicæ ad Rivum altum antiquitus sunt institutæ, longinquæ plebis & inquilinorum parti usum incommodiorem præbentibus, alteræ apud forum, reipublicæque horrea exadificatæ, calendis sextilibus exerceri cœptæ sunt, magistratibus adhibitis.

*Pisani se
Venetis ul-
tro dedunt.*

Iisdem fere diebus Florentinis Pisas bello repetentibus, cum per se oppidani contra tantas opes municipium diutius se tueri posse diffiderent, suum ad Senatum interpretem secreto miserunt, *velle se sub reipublicæ imperio esse: petere, rogare, ut reciperentur*. Res primum nova Patribus, quæ neque statim rejicienda, neque temere suscipienda esse videretur: deinde magis magisque in eorum animos irrepere, pulchrum existimantium augeri imperii fines, atque ad mare Ligusticum protendi. magnum porro esse Venetum nomen, cui sponte tam longinqua civitas, tamque nobilis se se dederet: sed factum prope similibus rerum eventis, quos si majores nostri despexissent, nulli nunc populi ejus imperium appeterent: itaque recipiendas esse Pisas, quas Dii immortales reipublicæ adicerent. Ea cum sententia majori Patrum numero probaretur, res in Decemvirum collegio agitari cœpta est, quo lex occultius ferri posset.

Tum